

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio LVI: In M. Antonium Philippica XIII.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

dustria, uoluntate, fecisse, quod suam, eorumq; quos secum haberet, operam senatui, populoq; Ro. pollicitus esset, eamque rem senatui, populoq; Rom. gratam, acceptamq; esse ei; honori, dignitatique eam rem fore. Hoc uel coniungi cum hoc senatusconsulto licet, uel seungi potest, seperatimque perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompeius collaudatus esse uideatur.



P. B.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA XIII.

ORATIO LVI.



SI, ut ex litteris, quæ recitata sunt, P. C. sceleratissimorum hostium exercitum casum, fuissemq; cognoui, sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea uictoria, qua parta est, consecutum arbitramur, D. Brutum egressum iam Mutina esse cognouissem: propter cuius periculum ad sagassemus, propter eiusdem salutem redeundum ad pristinum uestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante uero quam sit ea res, quæ auidissime ciuitas expectat, allata, latitia usus factis est maxima, præclarissimaq; pugna: reditum ad uestitum confecta uictoria reseruate. confectio autem huius belli est D. Bruti salus. Quæ autem est ista sententia, ut in hodiernum diem uestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos uero cum semel ad eum, quem cupimus, optamusque, uestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus.

neamus. nam hoc quidem cum turpe est, tum ne diis quidem immortalibus gratum ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere. Atqui animadverto, P. C. quosdam huic fauere sententiae: quorum ea mens, idque consilium est, ut, cum uideant illum gloriosissimum D. Bruto futurum diem, quo die propter eius salutem redierimus ad uestitum, hunc tantum ei fructum eripere cupiant, ne memoria, posteritatiue prodatur, propter unius cuius periculum populum Romanum ad saga isse, propter eiusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc nulam tam prauam sententiam causam reperiatis. Vos uero, P. C. conseruate auctoritatem uestram, manete in sententia, tenete uestra memoria, quod saepe ostenditis, huius totius belli in unius uiri fortissimi, & maximi uita positum esse discrimen. Ad D. Brutum liberandum legati missi principes ciuitatis, qui illi hosti, ac paricida denuntiarent, ut à Mutina discederet: eiusdem D. Bruti conseruandi gratia consul sortitu, ad bellum profectus est A. Hircius, cuius imbecillitatem ualitudinis, animi uirtus, & spes uictoria consermauit. Caesar, cum exercitu comparato primis pestibus rempublicam liberaisset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum, uicitque dolorem aliquem domesticum patriae caritate. Quid C. Pansa egit aliud, delectibus habendis, pecuniis comparandis, senatusconsultis faciendis grauissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Rom. ad causam libertatis uocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? à quo populus Rom. frequens ita salutem D. Bruti una uoce depoposcit, ut eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati uictus anteferet. quod sperare nos quidem debemus, patres conscripti, aut inibi esse, aut iam esse confectum. Sed spei fructum rei

P. 259.

cōuenit, & enēturi reſeruari. ne aut deorum immortalium beneficium feſtinatione præripuiſſe, aut uim fortunæ, ſtultitia contempſiſſe uideamur. Sed, quoniam ſignificatio ueſtra ſatis declarat, quid de hac re ſentiatis, ad literas ueniam, quæ ſunt à conſule, & à præpore miſſæ, ſi pauca ante, quæ ad ipſas literas pertineant, dixero. Imbuti ſanguine gladij, patres conſcripti, legionum, exercituumque noſtrorum. uel malefacti potius duobus conſulum, tertio P. B. Caſaris prælio. ſi hoſtium fuit ille ſanguis, ſumma militum pietas: nefarium ſcelus, ſi ciuium. Quoiſque igitur is, qui omnes hoſtes ſcelere ſuper auit, nomine hoſtis carebit? niſi mucrones etiam noſtrorum militum tremere uultis, & dubitare utrum in ciues, an in hoſte figantur. Supplicationem decernitis: hoſtem non appellatis, gratæ uero noſtræ diis immortalibus gratulationes erunt, gratæ uictimæ, cum interfecta ſit ciuium multitudo? De improbis, inquit, & audacibus. nam ſic eos appellat clariffimus uir: quæ ſunt urbanarum maledicta litium, non iniuſta belli internecini nota. teſtameta credo ſubiiciunt, aut eiciunt uicinos, aut adoleſcentulos circūſcribunt: his enim uitis affectos, & talibus, malos, & audaces appellare conſuetudo ſolet. bellum in expiabile infert quattuor conſulibus unus omnium latronum tæterrimus: gerit idem bellum cum ſenatu, populoque Romano: omnibus, *quamquam ruit ipſe cum ſuis gladios, peſtem, uarietatem, cruciatum, tormenta denūtiat. Dolabellæ ferum, & immane facinus, quod nulla barbaries poſſet agnoſcere, id ſuo conſilio factum eſſe teſtatur: quæque eſſet facturum in hac urbe, niſi eum hic ipſe Iupiter ab his manibus repuliſſet, declarauit in Parmenſium calamitate, quos optimos uiros, honeſtiſſimosque homines, maxime cum auctoritate huius ordinis, populique Romani

dignitate coniunctos, crudelissimis exemplis interemit,
 *prodigium illud, & portentū L. Antonius, insigne odium
 omnium hominum, uel, si etiam dii oderint, quos oportet
 omnium deorum. Refugit animus, P. C. eaque dicere refor-
 midat, quae L. Antonius in Parmensium liberis, & cōiugi-
 bus effecerit. quas enim turpitudines Antonij libenter cum
 dedecore subierunt, easdem per uim letantur aliis se intulisse. Sed uis calamitosa est, *quam illis intulerunt: libido
 flagitiosa, quae Antoniorum oblita est uita. Est igitur quis-
 quam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere
 crudelitatem Carthaginensium uictam esse fateatur? qua
 enim in urbe tam immanis Annibal capta, quā in Parma
 surrepta. Antonius nisi forte huius colonia, & ceterarū,
 in quas eodem est animo, non est hostis putandus. Si uero
 coloniarum, & municipiorum sine ulla dubitatione hostis
 est, quid tandem huius censetis urbis? quam ille ad explen-
 das egestates latrocinij sui concupiuit; quam iam peritus
 metator, & callidus, decēpeda sua Saxa diuiserat? Recor-
 damini, per deos immortales, P. C. quid hoc biduo timueri-
 mus, *a domesticis hostibus, rumoribus improbissimis dis-
 sipatis. quis liberos, quis coniugem aspicere poterat sine
 metu? quis domum? quis testam? quis larem familiarem? iam
 aut fedissimam mortem omnes, aut miserabilem fugā co-
 gitabant. haec à quibus timebantur, eos hostes appellare
 dubitamus? grauius si quis attulerit nomen, libenter assen-
 tiar: hoc uulgari contentus iux sum, leuiore non utar. Ita-
 que cum supplicationes iustissimas ex his litteris, quae reci-
 tatae sunt, discernere debeamus, Seruilisque decreuerit, au-
 gebo omnino numerum dierum: praesertim cum non uni, sed
 tribus ducibus sint discernendae. Sed hoc primū faciam, ut
 imperatores appellem eos, quorum uirtute, consilio, feli-
 cita

citate maximis periculis seruitutis, atque interitus libera-
 rati sumus. Etenim cui uiginti his annis supplicatio de-
 creta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis re-
 bus gestis, aut plerumque nullis? Quamobrem aut suppli-
 catio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit: aut
 usitatus honos, peruulgatusque tribuendus iis, qui-
 bus etiam noni, singularesque debentur. An, si quis
 Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo
 millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbuit,
 imperatorem appellaret senatus? tot legionibus caesis, tanta
 multitudine interfecta, * hostium dico, ita, inquam, hos-
 tium, quamuis hoc isti hostes domestici nolint, clarissimis
 ducibus supplicationum honorem tribuemus, imperatorii
 nomen adimemus? Quanto enim honore, letitia gratula-
 tione in hoc templum ingredi debent illi ipsi huius urbis
 liberatores, cum hesternò die propter eorum res gestas me
 ouantem, & prope triumphantem populus Rom. in Capi-
 tolinum domo tulerit, domum inde reduxerit? Is enim de-
 mum est mea quidem sententia iustus triumphus, ac uerus,
 cum bene de rep. meritis testimonium à consensu ciuitatis
 datur. nam siue in communi gaudio populi Romani uni
 gratulabantur, magnum iudicium; siue gratias agebant,
 eo maius: siue utrumque, nihil magnificentius excogitari
 potest. Tu igitur ipse de te, dixerit quispiam; & quidem
 inuitus. sed iniuria dolor facit me præter consuetudinem
 gloriosum. * nonne satis est ab hominibus uirtutis ignaris
 gratiam bene merentibus non referri? etiam in eos, qui
 omnes suas curas in reipub. salute desigunt, crimen, inuidia-
 que queritur? Scitis enim per hos dies creberrimum fuisse
 sermonem, me pridie uinalia, qui dies hodie est, cum fascibus
 fuisse descensurum. Credo hoc in aliquem impium, aut gla-
 diatorem

diatorem, aut latronem, aut Catilinam esse confictum: non
 in eum, qui, ne quid tale in repub. fieri posset, effecerit. an
 ego, qui Catilinam hac molientem sustulerim, euerterim,
 afflixerim, ipse existerem repente Catilina? quibus auspicijs
 istos fascēs augur acciperem? quatenus haberem denique
 traderem? Quemquamne fuisse tam sceleratū, qui hoc fin-
 geret; tam furiosum, qui crederet? Unde igitur ista suspi-
 cio, uel potius iste sermo cum, ut scitis, hoc triduo, uel qua-
 triduo tristis a Mutina fama manaret: inflati letitia, atq;
 insolentia impij ciues unum se in locum ad illam curiam
 uiribus potius suis, quam reipub. infelitem cor gregabant.
 ibi cum consilium inirent de eade nostra, partirentur que
 inter se, qui Capitolium, qui ostia, qui urbis portas occupa-
 rent, ad me concursum futurum ciuium putabant. quod,
 ut cum inuidia mea fieret, & cum uita etiam periculo fa-
 mam istam fascium dissipauerūt, fascēs ipsi ad me delatari
 fuerunt. quod cum esset quasi mea uoluntate factum, iam
 impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum, pa-
 rabatur: ex quo cædes esset uestrum omnium consecuta.
 Quæ res patescit, P. C. sed suo tempore totius huius scele-
 ris fons aperietur. Itaq; P. Apuleius tribunus pleb. meo-
 rum omnium consilium: periculorumq; iam inde a con-
 sultu meo testis, conscius, adiutor, dolorem ferre non po-
 tuit: doloris mei concionem habuit maximam, populo Ro-
 mano unum, atque idem feriente. In qua concione cum me
 pro summa nostra coniunctione, & familiaritate liberare
 suspicione fascium uellet, una uoce cuncta concio declara-
 uit, nihil esse a me umquam de repub. nisi optime cogi-
 tatum. Post hanc habitam concionem duabus, tribusue ho-
 ris optissimi nuntij, & literæ uenerunt: ut idem dies non
 modo me iniquissima inuidia liberarit, sed etiam cele-
 herri

berrima populi Romani gratulatione auxerit. Hæc inter-
 posui, P. C. non tam ut pro me dicerem (male enim mecum
 ageretur, si parum nobis essem sine defensione purgatus)
 P. B. quam ut quosdam nimis ieiuno animo, & angusto mone-
 rem, id, quod ego semper fecissem, uti excellentium civium
 uirtute imitatione dignam, non inuidia putarent. Ma-
 gnus est in republ. campus, ut sapienter dicere Crassus so-
 lebat, multis apertus cursus ad laudem. utinã quidem illi
 principes uiuerent, qui me post meum consulatũ, cum ijs
 ipse cederem, principem non inuiti uidebant. hoc uero tem-
 pore in tanta inopia constãtũ, & fortium consularium,
 quo me dolore affici creditis, cum alios male sentire, alios
 nihil omnino curare uideam, alios parum constanter in
 suscepta causa permanere, sententiamq; suam nõ semper
 utilitate reip. sed cum spe, tum timore moderari. Quod si
 quis de contentione principatus laborat, qua nulla esse
 debet, stultissime facit, si uitijs cum uirtute contendit. ut
 enim cursu cursus, sic in uiris fortibus uirtus uirtute supe-
 ratur. Tu, si ego de rep. optime sentiam, ut me uincas, ipse
 pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri ui-
 debis, ad te improbos inuitabis? nollem, primum reipubl.
 causa, deinde etiam dignitatis tua. Sed, si principatus age-
 retur, quem numquam expetui, quid tandem mihi esset
 optatus? ego enim malis sententijs uinci non possum, bonis
 forsitan possum, & libenter. Hæc populum Romanum ui-
 dere, animaduertere, iudicare, quidam moleste ferunt. po-
 teratne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut quis-
 que mereretur, iudicarent? ut enim de uniuerso sena-
 tu populus Romanus uerissime iudicat, nullis reipubl.
 temporibus hunc ordinem firmiorem, atque fortiorem
 fuisse: sic de unoquoque nostrum, & maxime qui hoc loco sen-

sententias dicimus, sciscitantur omnes: auent audire, quid quisq; senserit: ita de unoquoque, ut quæque meritum arbitrantur, existimant. memoria tenent, me ante diem XIII. P. 262. Kalendas Ian. principem reuocadæ libertatis fuisse: me ex Kalendis Ian. ad hanc horam inuigilasse reipublica: meâ domum, measque aures dies, & noctes omnium preceptis, moni isq; patuisse: meis litteris, meis nütij, meisq; corroboracionibus omnes, qui ubique essent, ad patriæ presidij excitatos: meis sententijs a Kalendis Ian. numquam legatos ad Antonium: semper illum hostem, semper hoc bellum: * ut ego, qui omni tempore uera pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestifera pacis inimicus. * Idem Ventidium, cum alij tribunum pleb. uoluissent, non ego semper hoste? Has in sententias meas si consules designati discessionem facere uoluissent, omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus iâ pridem de manibus arma cecidissent. Sed, quod tum non licuit, patres conscripti, id hoc tempore non solum licet, uerum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, uerbis notari, sententijs nostris hostes iudicari. Antea cum hoste aut bellum nomina semel, & sepius sententiam meâ de numero sententiarum sustulerunt. quod in hac causa iam fieri non potest, ex litteris enim C. Pansa, A. Hirrij consulum, C. Casaris proprætoris de honore dijs immortalibus habendo sententias diximus. supplicationem modo qui decreuit, idem imprudens hostes iudicauit. numquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est. decretam dico? ne uictoris quidem litteris postulata est. Ciuile bellum consul Sylla gessit: legionibus in urbem adductis, quos uoluit, expulit: quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. graue bellum Octavianum insecutum est: supplicatio Cinnæ nulla uictoris. Cinnæ uictoriam imperator ultus est

P. B. Sylla: nulla supplicatio decreta a senatu. ad te ipsum, Pub. Seruili, num misit ullas collega litteras de illa calamitosa pugna Pharsalica? num te de supplicatione uoluit referre? profecto noluit. At misit postea de Alexandria, de Pharnace: Pharsalica uero pugna ne triumphum quidem egit. Eos enim inesa pugna illa sustulerat, quibus non modo uictoribus, sed etiam uiuis, & incolumis, & florens ciuitas esse posset. Quod idem contigerat superioribus bellis ciuilibus. Nam mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob caedem hostium, sed ob cōseruationem ciuium, nouo, & inaudito genere decreta est. Quamobrem aut supplicatio ob rempub. pulcherrime gestam, postulantibus uestris imperatoribus, publice deneganda est, quod praeter Gabinium contigit nemini: aut supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est. Quod ergo ille re, id ego etiam uerbo, cum imperatores eos appello. hoc ipso nomine & eos, qui iam deuicti sunt, & eos, qui supersunt, hostes iudico, cum uictores appello imperatores. Quomodo enim potius Pansa[m] appellem? etsi habet honoris amplissimi nomen. Quo Hircium? est ille quidem consul: sed alterum nomen beneficij est populi Rom. alterum uirtutis, atq; uictoriae. Quid? Caesarem deorum beneficio reip. procreatum, dubitemne appellare imperatorem? Qui primus Antonij in manem, & foedam crudelitatem, non solum a iugulis nostris, sed etiam a membris, & uisceribus auertit. Vnius autem diei quot, & quantae uirtutes, dij immortales, fuerunt! princeps enim omnium Pansa praelij faciendi, & ceterum Antonio configendi fuit. dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore: cuius si acerrimum impetum cobibere potuisset, uno praelio confectares esset. Sed cum libertatis auda legio effrenatius

in aciem hostium irrupisset, ipseque in primis Pansa pugna-
ret, duobus periculosis uulneribus acceptis, sublatus præ-
lio, reip. uitam reseruauit. Ego uero hunc non solum impe-
ratorem, sed etiam clarissimum imperatorem iudico: qui
cum aut morte, aut uictoria se satisfacturum reipub. spo-
pondisset, alterum fecit, alterius dii immortales omen auer-
tant. Quid dicam de Hircio? qui, re audita, e castris duas le-
giones eduxit incredibili studio, atque uirtute: quartam il-
lam, quæ relicto Antonio, se olim cum Martia legione con-
iunxit, & septimam, quæ constituta ex ueteranis docuit
hoc prælio, militibus ius, qui Cæsaris beneficia seruassent,
si natus, populiq; Ro. earum nomen esse. His uiginti cohorti-
bus nullo equitatu Hircius, ipse aquilam, quartæ legionis
cum inferret, qua nullius pulchriorem speciem imperato-
ris accepimus, cum tribus Antonij legionibus, equitatuque
conflixit, hostesque nefarios, huic Ioui maximo, ceterisque
deorum immortalium templis, urbis teÆlis, libertati populi
Rom. nostræ uitæ, sanguiniq; imminentes prostrauit, fudit,
occidit: ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perter-
ritus, princeps latronum, duxque fugerit. O solem ipsum
beatissimum, qui, antequam se abderet, stratis cadaueribus
paricidarum, cum paucis fugientem uidit Antonium. An
uero quisquam dubitabit appellare Cæsarem imperato-
rem? etas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit:
quando quidem uirtute superauit etatem. Ac mihi semper
eo maiora beneficia Cæsaris uisa sunt, quo minus erant ab
etate illa postulanda: cui cum imperium, eodem tempore,
& spem eius nominis deferebamus: quod, cum est consecu-
tus auctoritatem nostri decreti, rebus gestis suis compro-
bavit. Hic ergo adolescens maximi animi, ut uerissime scri-
bit Hircius, castra multarum legionum paucis cohortibus

P. 238.

tutatus est, secundumque proelium fecit. Ita trium imperatorum uirtute, consilio, felicitate, uno die locis pluribus resp. est conseruata. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes, quas ut honorificentissimis uerbis ipse consequi potero, complectar ipsa sententia. Est autem fidei, pietatisq; nostrae, declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamq; grati, quamobrem promissa nostra, atq; ea, quae legionibus, bello confecto, tributuros nos spondimus, hodierno senatusconsulto renouanda censeo. equum est enim militum, talium praesertim, honorem coniungi. Atque utinam, P. C. ciuibus omnibus soluere nobis praemia liceret, quamquam ea, quae nos promissimus, studiose cumulata reddemus. sed id quidem restat, ut spero, uictoribus, quibus senatus fides praestatur: quam cum difficillimo reip. tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilij sui paenitere. Sed facile est bene agere cum his, à quibus etiam tacentibus flagitari uidemur. Illud admirabilius, & maius, maximeq; proprium senatus sapientis est, grata eorum uirtutem memoria prosequi, qui pro patria uitam profuderunt, Quorum de honore utinam mihi plura in mentem uenirent: duo certe non praeteribo, quae maxime occurrunt: quorum alterum pertinet ad uiuorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum ad leniendum maerorem, & luctum proximorum. Placet igitur mihi, patres conscripti, legionis Martiae militibus, & eis, qui una pugnantibus occiderunt, monimentum fieri quam amplissimum. magna, atq; incredibilia sunt in reipub. huius merita legionis. Hac se prima latrocinio abrupit Antonij: hac tenuit Albam: hac se ad Caesarem contulit: hanc inuitata quarta legio parem uirtutis gloriam consecuta est. Quarta uictrix desiderat neminem. Ex Martia

tia nonnulli in ipsa uictoria cōciderunt. O fortunata mors,
 quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita. Vos
 uere patriæ natos iudico, quorū etiā nomen à Marte est:
 ut idem deus urbem hanc gentibus, uos huic urbi genuisse
 uideatur. In fuga fæda mors, in uictoria gloriosa. etenim
 Mars ipse ex acie fortissimum quemq; pignerari solet. illi
 igitur impij, quos cecidistis, etiā ad inferos pœnas pari-
 cidij luent. uos uero, qui extremum spiritum in uictoria
 effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti. Breuis à
 natura uita uobis data est, at memoria bene reddita uite
 sempiterna. quæ si non esset longior, quam hæc uita, qui s
 esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad
 summā laudem, gloriamq; contenderet? Actum igitur præ-
 clare uobiscum, fortissimi, dum uixistis: nunc uero etiā
 sanctissimi milites, quod uestra uirtus nec obliuione eorum,
 qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse po-
 terit, cum uobis immortale monumentum suis pene mani-
 bus senatus, & populusq; Romanus exstruxerit. Multi sepe
 exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari, & magni
 fuerunt: nec tamen illis tale genus honoris tributū est. atq;
 utinam maiora possemus; quandoquidem à uobis maxima
 accepimus. Vos ab urbe furentem Antonium auertistis: uos
 redire molientē repulistis. Erit igitur exstructa moles opere
 magnifico, incisaq; litteræ diuinæ uirtutis testes sempiter-
 ne: nunquam de uobis eorum, quia ut uidebunt uestrum
 monumentū, aut audient, gratissimus sermo conticescet. ita
 pro mortali conditione uitæ, immortalitatem estis conse-
 cuti. Sed quoniā, P. C. gloria minus optimis, & fortissimis
 ciuibus monumenti honore persoluitur, consolemur eorum
 proximos: quibus optima est hæc quidem consolatio: pa-
 rentibus, quod tanta reipub. præsidia genuerunt: liberis,

P. B.

KKK 3

quod

quod habebunt domestica exempla uirtutis: coniugibus, quod iis uiris carebunt, quos laudare quam lugere praestabit: fratribus, quod in se, ut corporum, sic uirtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris, consultisq; possemus, uel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio, qua deponerent merorem, atq; lacrum, gauderentq; potius, cum multa, & uaria impenderet hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum. suis obtigisse, eosq; nec inhumatos esse, nec desertos: quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur: nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed coniectos publicis operibus, atq; muneribus, eaq; exstruktionem, quae sit ad memoriae aeternitatis ara uirtutis. Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari, & uirtute suorum, & pietatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam bellum quo, nisi tanta militum uirtus extitisset, pericidio M. Antonij nomen populi Ro. occidisset. Atq; etiam censeo, P. C. quae praemia militibus promissimus nos, recuperata, tributuros, ea uiuis, uictoribusq; cumulate, cum tempus uenerit, persoluenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo. Sed, ut aliquando sententia complectar, ita censeo: CVM C. Pansa COS. imp. initium cum hostibus configendi fecerit, quo praelio legio Martia admirabili, incredibiliq; uirtute libertatem

P. 26 5. populi Rom. defenderit: quod idem legiones tironum fecerunt: ipseq; C. Pansa COS. imper. cum inter media hostium tela uersaretur, uulnere accepit: cumq; A. Hircius COS. imper. praelio audito, & cognito, fortissimo, praestantissimoq; animo exercitum castris eduxerit, impetumq; in M.

Anto

Antonium, exercitumq; hostium fecerit; eiusq; copias occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desiderauerit: cumq; C. Caesar proprat. imp. consilio, diligentiaque sua castra feliciter defenderit, copiasq; hostium, quæ ad castra accesserant, profligarit, occiderit: ob eas res senatum existimare, & iudicare, eorum trium imperatorum uirtute, imperio, consilio, grauitate, constantia, magnitudine animi, felicitate, populum Rom. fœdissima, crudelissimaq; seruitute liberatum: cumq; rēp. urbem, tēpla deorum immortalium, bona, fortunasq; omnium, liberosq; conseruarint dimicatione, & periculo uitæ suæ, uti ob eas res bene, fortiter, feliciterq; gestas, C. Pansa A. Hircius Coss. imperatores, alter amboue, aut, si aberint, M. Cornutus prætor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat, cumq; uirtus legionum digna clarissimis imperatoribus extiterit: senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus, exercitibusq; nostris, ea summo studio, repub. recuperata persoluturum, cumq; legio Martia princeps cum hostibus cōfluxerit, atq; ita cum maiore numero hostium contenderit, ut plurimos caderent, caperent nōnullos: cumq; sine ulla retractatione pro patria uitam profuderint: cumq; simili uirtute reliquarum legionum milites pro salute, & libertate populi Romani mortem appetuerint: senatui placere, ut C. Pansa, A. Hircius consules, imperatores, alter amboue, si his uideatur, ijs, qui sanguinem pro uita, libertate, fortunisq; populi Romani, pro urbe, templisq; deorum immortalium profudissent, monumentum quam amplissimum locandum, faciendumq; curent: ad eam rem pecuniam dare, cōtribuere, soluere iubeant, ut exstet ad memoriā posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumque

P. B.

diuinam uirtutem: utq; quæ præmia senatus militibus ante constituit, ea soluantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus: iisque tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi uixissent, qui morte uicerunt.



P. 270.

C. CRISPI SALLV-

STII, VT VVLGO CREDI-

TVR, IN M. T. CICE-

ronem inuectiua.



CRAVITER, & iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis, quam morbo animi petulantia ista uti. sed, cum in te neq; modum, neq; modestiam ullam animaduerto, respondebo tibi: ut, si quam uoluptatem male dicendo cepisti, eam male audiendo amittas. Vbi querar? quos implorem? P. C. diripi remp. atq; audacissimo cuiq; esse perfidia locum? apud populum Rom. qui ita largitionibus corruptus est, ut sese, ac fortunas suas uenales habeat? an apud nos, patres conscripti? quorum auctoritas turpissimo cuiq;, & sceleratissimo ludibrio est: ubi M. Tullius leges, iudicia populi Ro. defendit, atq; in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia uiri clarissimi Scipionis Africani, ac nõ repetitius, accius, & paullo ante insitus